

**De habitudine nonnullorum Praemonstratensium
ad Concilium Basileense (a. 1431 ss.), notae quaedam.**

Tempore Concilii Basiliensis (a. 1431 ss.), conditiones Ecclesiae catholicae variis et naturae diversae difficultatibus obnoxiae erant. Difficultates illae modo particulari afficiebant gubernium centrale Ecclesiae. Sequelae sic dicti «schismatis occidentalis» nondum sopitae erant. Varia quidem Concilia celebrata sunt ut illis difficultatibus remedia apta apponerentur. Verum, auctoritas authentica variorum illorum Conciliorum aut potius variarum sessionum illorum Conciliorum non semper constabat, neque constat. Quali modo Praemonstratenses in genere, aut canonici et abbates Ordinis sese gesserint in illis adiunctis aegre determinari potest eo quod documenta coaeva huc pertinentia hucusque practice ignota remanserint.

In presenti notas quasdam sese referentes ad sic dictum Concilium Basileense proponimus. Notae illae prae oculis ponunt abbatem Averbodiensem, I. Balduini; abbatem S. Ioannis Ambianensis, M. Cotterel; abbatem S. Leonardi Alvarensis, seu Alba de Tormes, Ferdinandum; Th. de Andel, canonicum Tongerloensem, procuratorem generalem Ordinis apud Curiam Romanam.

1. I. BALDUINI.

De isto Abbate, Balduini, haec paucis habet C.L. HUGO, *Sacri Ordinis Praemonstratensis Annales*, t. I, Nanceii, 1734, col. 218 s.: «Joannes Baudouin, S. Nicolai Furnensis Canonicus, S.T.D., Philippo Burgundiae Duci a sanctoribus consiliis, Eugenio IV. familiaris, abbas Averbodiensis constituitur, dum Romae legationem nomine Philippi Ducis obiret, jus mitrae et pontificalium impretravit ab eodem Pontifice. Vicarius Generalis Brabantiae renunciatus, laudabiliter officio defungens, laudabiliori humilitate utramque dignitatem exuit, per cessionem anno 1458. Diem vidit ultimum 26 Januarii 1460». — Paulo fusius, documenta authentica adhibendo, de eodem Balduino agit Pl. LEFÈVRE, *Textes relatifs à une provision pontificale à l'abbaye d'Averbode au XV^e siècle*, in *Anal. Praem.*, 1926, II; pag. spec., p. VII: «On ne sait au juste dans quelles conditions il s'attira les grâces de Philippe le Bon, qui fit de lui son conseiller intime et le prit en grande affection. En 1452 il fut envoyé comme procureur de l'Ordre norbertin au synode de Bâle, où il gagna la sympathie du célèbre Aeneas Sylvius,

le futur Pie II. Lorsque l'assemblée se declara dissidente de l'autorité pontificale, Balduini prit parti pour cette dernière et combattit ouvertement la théorie conciliaire... Le 20 avril 1441 le duc de Bourgogne le chargea d'une mission confidentielle auprès de S. Siège. Balduini donna pleine satisfaction à ses maîtres. Sur le point de partir, il apprend la nouvelle du décès du prélat d'Averbode, D. Laecman. (Cfr. de hoc abbate, qui obiit 14 augusti 1441: V. VAN GENECHTEN, *Daniel Laecman, 22st abt van Averbode, 1423-1441 in Anal. Praem.*, XIX-XXII, 1943-1945, pp. 5-34; 73-163). Ce fut sans doute sur les instances de la cour bourguignonne et pour le récompenser des bons services de l'ambassadeur que le pape fit libeller en sa faveur la bulle de provision. Grande consternation à Averbode. On songea même d'envoyer l'élu j. Van Meerbeeck au Concile de Bale pour s'opposer à cette nomination». Constat praeterea ex epistolis missis a Capitulo Generali Ordinis anni 1443, in illo Capitulo anni 1442 excommunicatos esse quosdam religiosos Averbodienses, eo quod admittere nolebant provisionem abbatialem Balduini. Cfr. J.B. VALVEKENS, *Acta et Decreta Capitulorum Generalium Ordinis Praemonstratensis*. Tom. I, 1966 ss., pp. 124-128.

Balduini iste immatriculatus fuit apud varias Universitates. In specie: immatriculatus est in universitate Heidelbergensi. Cfr. G. TOEPKE, *Die Matrikel der universität Heidelberg*, t. II, 1886, p. 595. Iteratis vicibus immatriculatus apparet in registris universitatis Parisiensis. Cfr. H. DENIFLE-Ae. CHATELAIN, *Chartularium Universitatis Parisiensis*, t. IV, Parisiis, 1897. Et quidem, a. 1425, p. 444, nr. 2256: «Fr. Johannes Balduini, religiosus B. Nicholai Furnensis, 5 Maii, 1us curs». — Iterum a. 1426: «Frat. Johannes Baudouini de Furnis, Ord. Praemonstr., 10 Julii, 2us curs. (p. 266, nr. 2294). — a. 1427: «Frat. Johannes de Furnis, Ord. Praemonstr., XXIIIJ sol., Sept. 1427» (p. 467, nr. 2295). — Additur hic n. 2. apud Denifle, l.c., p. 467 haec nota editoris: «Balduini, prior monasterii S. Nicolai Furnensis, ut bac. form. Paris, sex annorum incorporatus est Universitati Heidelberg. Propter negotia Ordinis parisios reliquit, et postea ob viarum discrimina, illuc redire non valens supplicavit Eugenio IV ut sub mag. Egidii Carlerii aliisque licentiam et magisterium suscipere possit». — Postea, anno 1455, immatriculatus est in universitate Lovaniensi. Apud J. WILS, *Matricule de l'Université de Louvain*. (Commission royale d'Histoire). T. II, Bruxellis, 1946, legitur: «6 nov. 1455, abbas Everbodiensis, Leod. dioe., prof. in theol. vocatus Johannes Balduini».

Additurque in nota: «Jean Balderini, Baudouin, Baudewyns ou Bodden, prit l'habit religieux à l'abbaye norbertine Saint-Nicolas de Furnes, et y prononça ses vœux. Ses supérieurs l'envoyèrent aux Universités de Heidelberg et de Paris. Il s'adonna à l'étude de la théologie, et obtint, à Paris, le grade de docteur, grade qu'il paraît avoir pris une seconde fois à Louvain. Il devint prieur à l'abbaye de Furnes, conseiller intime de Philippe de Bon, duc de Bourgogne, qui le chargea, en 1441, d'une mission pour le pape. Celui-ci considérant les vertus et les mérites de Balduini, le nomma, le 27 septembre de cette année, prélat de l'abbaye d'Averbode, charge qu'il conserva jusqu'en 1458. Il mourut le 26 janvier 1460». — De eodem abbate, Balduini, scribit H. DE JONGH, *L'ancienne Faculté de Théologie de Louvain au premier début de son existence (1435-1540)*. Lovanii, 1911, p. 88: «En 1455 fut immatriculé à Louvain le prélat d'Averbode, Jean Balduini, docteur Parisien, qui «egit primum in Synodo Basileensi a. 1436, moxque in Aula romana syndicum universi Norbertinorum ordinis, Eugenio IV. partes adversus Basileenses strenue defendit». (PAQUOT, Ms. 15517, p. 21). Il semble avoir pendant quelque temps fait partie du «strict collège de théologie à Louvain».

2. MATTHAEUS COTTEREL.

Abbas fuit Cotterel S. Ioannis Ambianensis (St.-Jean-d'Amiens), electus a. 1438. Ea quae egit et obtinuit in et a Synodo Basileensi, indicantur apud C.L. HUGO, l.c., t. I, col. 907: «Clavo insidens et recuperandis bonis Ecclesiae suae per illicitos contractus, aut per oppignorationes indebitas alienatis, intentus, Synodum Basileensem convenit anno 1435., ab eoque obtinuit delegari ad partes, Abbates S. Martini de Gemellis, et S. Acheoli, qui judiciali et coactiva auctoritate, detentores ad restitutionem adigerent. Innovationem quoque privilegiorum et immunitatum Ecclesiae suae ab eadem Synodo reportavit. Firminum de Berniaco, Rectorem parochialis Ecclesiae S. Sulpitii Ambianensis, et Procuratorem Ioannis Episcopi sui (iuxta B. GAMS, *Episcopatus Ecclesiae Catholicae*, Graz, 1957, p. 487, agitur de Joanne VI le Jeune; qui fuit episcopus annis 1433-1439), in vim cuiusdam indulti ab Eugenio IV Papa extorti, visitatorem monasterii S. Joannis volentem instituere, ad Basiliensem Synodum provocavit. Ad episcopum Bellicensem (= Belley; annis 1430-1439, Guillelmus IV erat ille episcopus, iuxta GAMS, l.c., p. 513). Quaestio

terminanda a Patribus dilata est, et aliis iudicibus demandata, donec Joannis Balduini, prioris Furnensis, instantiis, ab ipsomet Concilio partibus auditis hinc inde, conciliariter definita est, 2. Nonas Julii 1437, pronuntiante Matthaeo Frisingensi Canonici et Decretorum Doctore, Abbatem, Canonicos, et Conventum monasterii S. Joannis «ab omni visitatione, superioritate, potestate et jurisdictione Archiepiscoporum, Episcoporum et Ordinariorum, et eorum Officialium liberos esse et exemptos et Sedi Apostolicae immediate subjectos esse, necnon oppositiones, molestationes, vexationes et impedimenta praedicta, fuisse et esse temeraria, illicita, injusta et de facto praesumpta, ac Joanni Episcopo et illius Officiali seu Procuratori, super visitatione et procuratorum exactione silentium perpetuum imponi, necnon eundem Episcopopum Joannem in expensis pro hujusmodi causa legitima factis, in quinquaginta florenis boni auri et ponderis condemnari».

In *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio*, praeparata et edita cura G.D. MANSI, t. 29, variae litterae de lite modo exposita referuntur. Ita, l.c., coll. 1180-1184, litterae «ex parte dominorum Matthaei abbatis, canonicorum et conventus principalium». Eadem materia tractatur in litteris et documentis: coll. 1185-1302; et in fine (l.c., col. 1302) additur in nota: «Ex iisdem archivis ord. Praemonstratensis».

3. FERDINANDUS, ABBAS S. LEONARDI ALVARENSIS = ALBA DE TORMES.

Abbas iste, Ferdinandus, abbatiam suam (sitam in dioecesi Salmanticensi, in Hispania), rexit versus a. 1435. (Iuxta N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*. Tom. III, Straubing, 1956, p. 243, obiit anno 1441). De ipso scribit HUGO, l.c., t. II, «Ferdinandus, Abbas Congregationis et Cleri nomine ad Concilium Basileense delegatus est Orator. Illius doctrinae testimonium perhibuit sancta Synodus sequenti decreto» (col. 38). Quae in hoc Decreto dicuntur paucis ita describi possunt: Increpantur Abbates Hispaniae qui Ferdinandum ad Synodum delegarunt, eo quod ipsi non tribuunt necessaria ad negotia sua debite explenda. Addit autem Hugo Ferdinandum istum postea etiam interfuisse Conciliis Ferrariensi et Florentino (ib., col. 40). — In ms. Nancy, 1766 (993) fusior sermo fit de iis quae egit Ferdinandus noster occasione Synodi Basileensis. Legimus ibidem, p. 40a: «Ex iis infertur praedictum Abbatem S. Leonardi, Fernandum, seu Ferdinandum, uti virum singularem et egregium per Congregationem

Praemonstratensium hispaniae, ad interessendum pro ipsa Generali Concilio Basileensi destinatum et ipsum cum sufficientibus mandatis procuratoriis missum, illumque ab initio Concilii perseverasse cum Patribus. Et etiam schismatis tempore, a quo decretum praefatum (relate in ms., loco citato) expeditum fuit. Similiter etiam toto tempore quo et Ferrarii et tandem Florentii duravit, et eidem videtur interfuisse ad annum 1439. In quo fuit conclusum Concilium, cuius decretis inter patres subscripsit N. Abbas Sti Leonardi, quae in impressione Sacrorum Conciliorum Colon. Agripp. 1567 Concilii inspexerit (agitur de editione: L. SURIUS, *Concilia omnia tam generalia quam provincialia atque particularia*; 4 t. Colonia, 1567), quo pro: *Ferdinandus* posuit: *Ego Franciscus Abbas Sti Leonardi me subscr.* In eodem Concilio quinimo totius ordinis privilegia confirmata sunt. Sed et speciale privilegium designativum Conservatorum Monasteriorum in Regno Hispaniae consistentium est expeditum, sub dat. basileae 2. Non. Decembr. a Nativ. Dom. 1434. In quo Conservatores designantur Abbas S. Petri de Cardura, Burgensis Dioecesis. Abbas de Labora Ecclesiae Palatinae diocesis, Archidiaconus Ecclesiae Salmanticensis ac Prior Ecclesiae Oxonensis».

Ampliores notitiae de abbate illo Ferdinando dantur in eodem ms. Nancy, f. 182b. Et quidem hoc tenore: «D. D. Fernando, Abbate Sti Leonardi, Patre Conciliari, in sac. Syn. Basileensi et Florentia. — D. Fernandus, Abbas Sti Leonardi de Alva de Tormes, Monasterii olim Ordinis Praemonstratensis; solemni convocatione indicta per Eugenium 4., Generali Synodo celebranda, primo Basileae, post Florentiae, ubi tandem a summis Ecclesiae Pontificibus, pacifice terminata et occlusa fuit, pro parte Abbatum et Monasteriorum nostrae Congregationis Hispaniae praemonstratensium praefatae Synodo a principio ad finem incorporatus extitit. Et, ut ex litteris ipsius Synodi a nobis loco citato (p. 40 a) productis constat, in dictis Ecclesiae negotiis pro viribus insudavit. Eapropter Patres attendentes Ferdinandi Abbatis praesentiam Ecclesiae et Sacro Concilio plurimum necessarium fore, Retortensi (abbatia Praemonstratensis de Retuerta) et Charitatensi (abbatia Praemonstratensis de Sta Maria de la Caridad, seu Ciudad Rodrigo) Abbatibus et Priori Sti Leonardi moderno, quatenus omnes Abbates et Priores dictae Congregationis capitulariter de more in aliquo Monasterio illico convenire facientes, ipsos monerent quid dicto Ferdinando Abbati eorumdem monasteriorum redditus necessaria pro toto tempore quo in dicto Concilio resideret et ad suum domicilium,

conclusa Synodo, reverti posset, contribuerent. Dat. Basileae, 13. kal. Jan. ann. a Nativitate Dom. 1434. Unde, ut dixi, ad finem perseveravit, sicque pridie non. Jul. ann. Dom. 1439. Concilio subscripsit. Et nota per errorem in impressionibus Conciliorum a nobis ita legi: Ego Franciscus Abbas Sti Leonardi subscripsi. Ego Fernandus corrigi deberi».

4. THEODORICUS DE ANDEL.

De Theodorico Van Anandel pauca habet L. GOOVAERTS, l.c., T. II, p. 274, praecipua fata eius vitae referendo iuxta W. VAN SPILBEECK, *De abdij van Tongerlo*, Lirae, 1888, p. 224 s. — De eodem Van Anandel legimus in Necrologio Tongerloensi ad diem 6 Aprilis: «Fater Theodoricus de Anandel, sacerdos et canonicus hujus ecclesiae, in decretis baccalaureus, quondam investitus de Parvo-Zundert et de Duffel, procurator ordinis Praemonstratensis, qui fuit alter deputatorum ex parte Nationis Germanicae pro congregando Concilio Generali Basileensi (ob. 1433)». — Fusiora de eodem Van Anandel refert A. ERENS, *Thierry Van Tuldel et la Commende en Brabant, 1470-1490* in *Anal. Praem.*, 1925, I, p. 324: «Nous rencontrons un Thierry van Anandel, religieux de Tongerlo, occupant le poste de procureur de l'Ordre, et qui fut chargé par le chapitre général de représenter l'Ordre aux conciles de Constance et de Pise». Additque Erens in n. 2, in: «Voyez le saufconduit qui lui fut accordé par le saint Siège pour son voyage à travers de la Lombardie vers l'Allemagne (U. BERLIÈRE, *Inventaire analytique des Diversa camerariae des archives vaticanes*, Rome-Namur, 1905, p. 142, n° 179). Le Chapitre général, à la suite de cette représentation, alloua à Thierry les tailles des quatre circaries de Floreffe, Brabant, Frise et Westphalie jusqu'à l'occurrence de 999 et demie couronnes: Arch. de Tongerlo, Chartes, n° 1495. Original). — Nomen eiusdem van Anandel occurrit apud E. DE RIDDER-SYMOENS et L. MILIS, *Tongerlo en zijn studenten op het keerpunt van de Middeleeuwen en de moderne tijden* in *Ons Geestelijk Erf*, 1970, XLIV, p. 414; notatur ibidem Van Anandel interfuisse Concilio Constantiensi, a. 1418, Siennensi, a. 1418 et Basileensi; ipsumque concipsisse: *Concilium Constantiense*, cuius manuscriptum antea asservabatur in bibliotheca Abbatiae Tongerloensis. — Fusius de eodem Van Anandel scribit P. VISSCHERS, *Geschiedkundige Inlichting over het Norbertijnsch Collegie en de voornaemste Bibliotheken te Roomen*, Antverpia, 1841, p. 22. Narrat

Visschers, l.c., Van Andel constitutum esse Procuratorem Generalem sui ordinis a. 1410, Romamque profectum esse a. 1411, comitantibus Waltero Van Geel et Waltero Van Diest. Rediit in patriam a. 1411; anno 1412, iterum Romam profectus est, ad hoc mandatus a Capitulo Generali Ordinis ut interesset Synodis generalibus Ecclesiae catholicae. Anno 1418, deputatus est qua procurator generalis Ordinis ad Concilium Constantiense. Deinde, qua deputatus regionum Neerlandiae missus est ad Concilium de Pavia et deinde de Senis. In quo ultimo conventu decisa est convocatio Concilii Basileensis. Aderat idem Van Andel Concilio Basileensi, a. 1431. In quo eodem anno e vivis decessit.

In t. 29, col. 6 s. Collectionis Conciliorum a MANSI dictis, citatur Theodoricus Van Andel. Habetur ibidem: Instrumentum electionis civitatis Basileensis pro generali Concilio proxime celebrando: «Electio haec fit Senis. Praesentibus de more praesidentibus..., una cum reverendis patribus ac venerabilibus et circumspectis viris omnium quinque nationum, videlicet pro Italica... Pro natione Gallicana ...Pro natione Germanica, reverendus dominus Hartungreas de Cappel, decretorum doctor, sacri palatii apostolici causarum auditor, ac vere rationabilis et religiosus vir frater Theoricus de Andel, monachus Praemonstratensis, in decretis licentiatu, ac ejusdem Ordinis Procurator...».

5. BELLUS PORTUS (Beauport).

Appendicis gratia notari potest in t. 29 collectionis Conciliorum MANSI, col. 1205 s. haberi decisionem latam in Concilio Basileensi, anno 1436 «Sententiae in favorem monasterii Belli-Portus, ordinis Praemonstratensis, latae, ab Eugenio IV, confirmantur anno 1436, die XXII Junii». — Agitur in his sententiis de exemptione abbatae Belli Portus a visitatione instituta a personis Ordini Praemonstratensi alienis.

J. B. VALVEKENS, O. Praem.